

sacramentum Pœnitentiæ adire velit, non requiritur nova contritio; ergo contritio est mera dispositio ad absolutionem recipiendam.

R. D. M. Quod pertinet ad sacramentum ut pars, debet fieri cum intentione, ut fiat sacramentum ex parte ministri C. debet fieri cum intentione sacramenti semper ex parte suscipientis N. Huic sufficit intentio habitualis suscipiendi sacramentum, quam afferre censetur is, qui christiane vivit, et contritione elicita Deo reconciliari desiderat, id quod est votum implicitum sacramenti Pœnitentiæ.

Inst. 1. Ad suscipiendum Matrimonii et Ordinis sacramentum non sufficit ejusmodi interpretativa intentio; ergo neque sufficit ad sacramentum Pœnitentiæ.

R. N. Cons. Matrimonium est contractus onerosus, ad quem partis utriusque consensu formali opus est. Item in Ordine mutatur vitæ status, gravis obligatio suscipitur, quæ nemini nisi directe volenti injungenda est.

Inst. 2. Ut contritio tanquam pars sacramenti fiat sensibilis per confessionem, debet hanc præire, et ad hanc movere, ut ejus causa: atqui hoc sæpe non accidit; valet enim absolutio, licet contritio post confessionem eliciatur, ut docent Suarez, Vasquez, Henriquez, de Lugo et alii communius contra Coninc.; ergo contritio est mera dispositio ad sacramentum.

R. N. M. quæ etiam ex usu fidelium contrario confutatur. Satis ergo sensibilis fit contritio per confessionem, cum qua moraliter unum efficit.

Inst. 3. Sacramenta plura plures partes requirunt: atqui potest unus dolor sufficere duplici absolutioni; qui enim obtenta absolutione, alius adhuc peccati recordatur, absolvitur denuo, quin ad novum dolorem adstringatur; ergo contritio non videtur pars hujus sacramenti.

R. D. Assumpt. Unus dolor virtualiter et moraliter multiplex sufficere potest duplici absolutioni C. dolor et realiter et moraliter unus sufficere potest duplici absolutioni N. Prior dolor universalis censetur adhuc informare confessionem proxime instauratam, hinc virtualiter multiplex videtur. Secus judicandum esset, si altera confessio a priore confessione et dolore distaret, ut ab illo informari amplius, nec cum eo commune quidquam habere crederetur. Cur autem ad iterationem sacramenti requiratur alia confessio et absolutio, uti etiam ad reliqua sacramenta distincta realiter materia et forma, facile hinc licet intelligi.

148. Obj. II. Contritio ad integritatem sacramenti requiri dicitur a Concilio TRID. Sess. 14. c. 3.: pars autem integralis non est essentialis; ergo contritio non est de essentia sacramenti Pœnitentiæ.

R. N. min. Cujus rationem lege supra n. 112. ad Inst. 3. Partes integrantes dicuntur, quæ sua quantitate totius quantitatem constituunt. Secundum hanc generalem materialium partium conditionem Concilia Florentinum et Tridentinum aiunt, contritionem, confessionem et satisfactionem requiri ad integritatem sacramenti et ad perfectam peccatorum remissionem, quin negent, aliquam, vel aliquas ex hisce partibus essentielles et ad veritatem sacramenti simpliciter necessarias esse.

ARTICULUS II.

AN CONTRITIO IMPERFECTA SIT ACTUS BONUS ET HONESTUS?

149. Nota I. Contritio generatim a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Quo conceptu conveniunt contritio perfecta et imperfecta, quæ nunc passim vocatur in scholis attritio, et cap. cit. Concilii Trid. dicitur concipi *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ et pœnarum metu.*

Quandocumque ergo fides christiana nobis exhibet motivum distinctum a formali ratione caritatis, aptumque ad excitandum odium ac detestationem peccatorum nostrorum, erit formalis ratio contritionis imperfectæ seu attritionis.

Nota II. Lutherus sermone de pœnitentiâ an. 1517. habito docuit, detestationem peccatorum ob amissionem æternæ beatitudinis, aut ob reatum damnationis æternæ, facere hominem hypocritam, imo magis peccatorem. Hic est articulus 6. quem Leo X. cum aliis pluribus ex eodem sermone excerptis damnavit, quemque Lutherus et suum et christianissimum esse postea obstinate asseveravit libro contra Bullam Antichristi, et in assertionem omnium articulorum suorum.

Nota III. Alter error est discipulorum Baii, qui, cum nullum actum medium agnoscant, qui non sit aut ex caritate seu amore benevolentiae, aut ex vitiosa cupiditate, omnia etiam fidelium opera contendunt esse peccata vera omissionis, eo quod per actum veræ caritatis ad Deum tanquam finem ultimum non referantur: adeoque actus fidei, spei, timoris, religionis, misericordiæ, patientiæ aliarumque virtutum, si non sint ex caritate, vera esse peccata. Quo etiam spectavit Jansenius, cum L. 5. de gratia Christi c. 21. timorem pœnæ ex se ipso quidem rectum esse ait; at ex parte timentis, qui eum ex caritate non refert ad Deum finem ultimum, esse vitiosum.

150. Dico I. Attritio ex consideratione turpitudinis peccati concepta actus bonus est et honestus.

Prob. I. Concilium TRIDENT. nuper cit. declarat, talem actum esse *donum Dei, et Spiritus sancti impulsum.*

Prob. II. Quælibet virtus est bona mentis qualitas, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, ut tradit S. Augustinus L. 1. retract. c. 1.; habet enim peculiarem honestatem ab objecto proprio, atque in eadem conquiescit: neque ulla lex a Novatoribus ostendi potest, qua præcipiatur, ut actiones singulas ex motivo amoris benevolentiae ad Deum referamus, prout in tractatu de actibus humanis, et de gratia pluribus demonstratur.

151. Dico II. Bona etiam et utilis est attritio concepta ex solo metu gehennæ et aliarum pœnarum a Deo infligendarum, h. e. qua quis Deum vindicem ita timet, ut solius pœnæ fugiendæ causa de peccatis admissis doleat, et imminetia aversatur.

Prob. Bonus est et utilis timor gehennæ; ergo etiam ad hanc evitandam

bonum est dolere de peccatis admissis, et instantia horrere, quia hæc sunt causæ certissimæ, quæ pœnas sempiternas accersunt.

Prob. Ant. I. Deus timorem istum ait esse *initium sapientiæ* Ps. 109. v. 10., Prov. 1. v. 7.; expelli ab eo peccatum, nec quemquam sine eo justificari posse Eccli. 1. v. 27.; esse initium dilectionis ib. c. 25. v. 16. Christus Matth. c. 10. v. 28. jubet nos Deum timere, *qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*. Et Matth. c. 5. v. 30., c. 18. v. 8., Marc. 9. v. 42., Luc. 12. v. 5., ac sæpe alias ignem gehennæ, flammæ inextinguibiles, vermem non moriturum, tenebras exteriores, et stridorem dentium minatur. Id ipsum Matth. c. 3. v. 10. Joan. Baptista intentat.

Ex Patribus CLEMENS Alexand. L. 2. Stromat. (opp. p. 373. C.) *Qui timorem, inquit, damnant, ii legem etiam insectantur: quod si legem, clarum est, quod et eum qui legem tulit*. Hieronymus in c. 1. Malach. (opp. t. 6. p. 947. B.) *Vult, inquit, primum Deus, ut ejus filii simus, et bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus; ut saltem nos servos habeat, et a malis per suppliciorum formidinem recedamus... ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus*. Et in c. 2. Mich. (ibid. p. 487. C.) *comminatur supplicia et tenebras sempiternas, ut, qui pudore vel verecundia non tenentur, agant poenitentiam saltem comminatione pœnarum*. August. in Ps. 127. n. 8. *Ille, inquit, timor nondum castus presentium (Domini) et pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est*.

II. Timor iste est actus spei, ergo est bonus et honestus. *Prob. Ant.* Spe theologica non tantum desideramus consecutionem summi boni, et media eo conducentia, sed timemus etiam, et aversamur mala consecutioni summi boni contraria: atqui damnatio æterna summum malum est, et æternæ beatitudini vel maxime adversatur; ergo actus, quo illam horremus, a spe, virtute theologica, proficiscitur.

III. Effectus hujus timoris est bonus, quia voluntatem peccandi coercet, ac saltem opus externum prohibet; ergo timor talis actus malus dici nequit.

IV. Probabile est, hunc timorem pertinere ad dona Spiritus sancti, de quibus Isai. 41. v. 2., ut non tantum tradunt Alexand. Halens. 3. part. sum. Theol. q. 76. n. 1., S. Bonavent. in 3. d. 34. part. 2. a. 1. q. 1.; sed etiam S. Gregorius et S. Augustinus; ac ne distinctioni locus sit, GREGORIUS hom. 19. in Ezechiel. (al. L. 2. n. 7.) scribit, esse timorem pœnæ, qui crescente caritate minuitur. Et AUGUSTINUS L. de Gratia et lib. arb. c. 18. n. 39. ait, timorem, quem Isaias inter Spiritus sancti dona numerat, non esse illum, quo Petrus Christum negavit, sed de quo Dominus: *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*.

Quoniam vero S. THOMAS 2. 2. q. 19. a. 9. in 0. timorem servilem e numero Spiritus sancti donorum excludat, ait tamen, illum a Spiritu sancto esse: et art. 7. probat illum esse initium sapientiæ, *in quantum aliquis timore pœnæ discedit a peccato, et per hoc habilitatur ad sapientiæ effectum*.

Denique Concilium TRIDENTINUM nuper cit. declarat, contritionem conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum metu, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non*

facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsus, etc. Et cap. 5. contrarium tenere ausos damnat. Sess. 6. autem Can. 8. ita statuit: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere; anathema sit*. Unde etiam ALEXANDER VIII. anno 1690. 7. Dec. inter 31. propositiones damnavit hanc 14.: *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Et 15.: *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*.

152. *Obj. I.* Primo et maximo mandato tenemur, omnia nostra referre ad Deum ex motivo caritatis; ergo si quis detestetur peccata ex motivo spei, religionis, timoris aut alius virtutis tantum, peccat saltem peccato omissionis; estque defectus non tam actionis seu spei, aut virtutis moralis, sed ex parte agentis, qui actionem non ex caritate refert ad Deum.

R. N. M. Sufficit referri omnes actiones nostras ad Deum relatione quadam conformitatis, eo quod sint conformes regulæ primæ morum, seu normæ rectæ agendi, quæ Deus est: quo quidem sensu spes et virtutes morales opus suum ad Deum ut finem referunt implicite, ita ut Deus sit omnium actionum illarum moralium finis ultimus cui. At vero caritas suis actibus ita explicite fertur in Deum, ut hic sit finis qui, et finis proximus et ultimus cui.

Inst. Quod non fit ex caritate, vanum est et frivolum, ut docet Apostolus 1. Cor. 13. atqui actus talis attritionis non fit ex caritate; ergo est vanus et simulatus.

R. *Explic. sent. Apost.* Hoc est, nihil proficit ad meritum vitæ æternæ, quod sine habitu caritatis Dei et proximi fit C. quasi cæterarum virtutum actiones malæ sint et hypocrítica N. Videtur Apostolus monuisse, nullum opus bonum illi proficere, qui proximum odit; nam de amore proximi ibi potissimum sermocinatur. Attritio nondum quidem ex caritate concipitur, in eandem tamen inducit, sicut et fides, quæ justificationis initium est.

153. *Obj. II.* Talis magis odit gehennam, quam peccatum; ergo affectu inordinato laborat.

R. D. *Ant. h. e.* gehennam primo ac propter se detestatur et peccatum propter gehennam C. quasi comparet gehennam cum peccato, et minoris faciat malum peccati, quam gehennæ N. Ita in hac materia explicandum est axioma: *Propter quod unumquodque tale, illud et magis: nempe detestatur poenitens gehennam prius natura et independentem a peccato, et non vicissim*. Neque ideo magis appetitive detestatur gehennam, quam peccatum, quando hujus fugam ad illam evitandam adhibet: nam sæpe majus bonum amamus et usurpamus ad consequendum minus, quin tamen hoc illi præferamus: ita enim minus bonum intendimus tantum ut finem proximum et utilitatis, non vero ut finem ultimum et excellentiæ. In quo nihil præposterum aut inordinatum apparet; cum et Deus ipse usus incarnatione Verbi sit ad hominum reparationem.

Inst. 1. Attritus magis movetur a malo gehennæ, quam peccati; ergo pluris facit malum gehennæ.

R. N. seq. Summa et sempiterna miseria majorem vim habet percellendi animum hominis sordibus peccatorum assueti, quam scditas peccati. Hinc Deus a pœnarum metu solet incipere, dum peccatorem ad respiscendum inducit, ut docet Concilium TRIDENTINUM Sess. 6. cap. 6.; et S. AUGUSTINUS Tract. 9. in epist. Joan. n. 4. *Si nullus, inquit, timor, non est qua intret caritas.*

Inst. 2. Talis attritio oritur ex amore proprio, ergo est vitiosa.

R. D. Ant. Oritur ex amore proprio ordinato tamen C. inordinato N. Quando quis sibi vult bonum divina lege prohibitum, aut propter objectas difficultates ab officio deficit, præpostero affectu laborat, qui passim amor proprius dicitur, et vituperatur voce in malam partem accepta. In attritione autem tres affectus comprehenduntur, quorum primus est desiderium vitandi gehennam: alter, detestatio peccati cum dolore et proposito deinceps ab illo abstinendi: denique ordinatio hujus detestationis ad gehennam vitandam. Quæ quidem omnia rationi rectæ, et divinæ voluntati convenire ostendimus in conclusione.

154. *Obj. III.* Hujusmodi attritio concipitur ex timore servili: atqui timor servilis malus est; ergo et attritio.

R. D. M. Attritio concipitur ex timore serviliter servili N. ex timore simpliciter servili C. Timor uterque dicitur servilis, quia servorum est timere pœnam propter se, et ex solo timore pœnæ peccatum fugere ac detestari. Timor autem serviliter servilis est, quo timetur gehenna tanquam principale et summum malum, ut inquit S. Thomas nuper laudatus a. 4. ita ut homo eam plus, quam ipsas Dei offensas metuat, malitque Deum peccando offendere, quam æternas pœnas sentire: qui timor utique perversus et malus est; non quia timetur gehenna, sed propter pravam animi comparisonem et amorem sui inordinatum, quo homo se ipsum finem ultimum sibi præfigit. Timor autem simpliciter servilis non eligit peccatum, ut fugiat infernum; sed horret et declinat peccatum, ut infernum declinet, quem aversatur; atque adeo utrumque simul detestatur.

Inst. 1. Timor iste simpliciter servilis potest quandoque adhuc esse cum affectu ad peccatum; ergo erit adhuc malus.

R. D. Cons. Erit malus si foret causa inducens ad affectum peccati C. cum potius ab hoc affectu deterreat N. Affectus isthic malus tribuendus potius est subjecto non satis efficaciter gehennam timenti: hinc tam parum inficit actum timoris, quam parum inficiuntur actus fidei, spei, misericordiæ, aliarumque virtutum moralium, quibus adjungi potest. Excludit autem omnem affectum ad peccatum timor servilis, quando est appetitive maximus, quod nimirum timemus gehennam super omnia mala, quorum perpessio ad vitandam offensionem divinam necessaria est. Quod si timor appetitive minor fuerit, pro aliquibus tantum casibus affectum ad peccatum excludet: nec tamen ideo malus dici debet, sed minus bonus et minus efficax; et attritio inde concepta etiam erit bona, licet non ita sufficiens. At vero orta ex timore priore, nempe attritio appetitive summa, est multo melior, et sola ea, quæ, si cum spe veniæ juncta fuerit, in sacramento ad impetrandam gratiam disponit, ut habet Trident. Sess. 14. cap. 4.

Inst. 2. Timor simpliciter servilis opponitur caritati perfectæ, et ab hac foras mittitur, ut traditur 1. Joan. 4. v. 18.; ergo non est bonus.

R. D. Ant. Timor servilis secundum substantiam opponitur caritati, et ab hac foras mittitur N. Timor secundum denominationem extrinsecam servilitatis opponitur caritati, etc. C. Ita D. Thomas recens citatus. Timor iste secundum substantiam est metus gehennæ propter se, et peccati propter gehennam; qui quidem manet in hominibus perfectissimæ caritatis et sanctitatis, sed sine denominatione servilitatis: nam hæc tantum extrinseca timori est, nec ei ratione sui ipsius convenit, sed tantum ratione subjecti; quando nimirum est in homine, qui peccatum timet non ratione offensæ divinæ, sed solum propter pœnam, quæ proprie servorum est. Igitur servilis dicitur timor, quia hæret in subjecto destituto caritate: sicut dicitur fides mortua, quia est in subjecto nondum per gratiam et caritatem vivente. Quemadmodum ergo caritas superveniens non ejicit fidem mortuam, sed tantum denominationem mortuæ facit cessare: ita caritas subsequens non ejicit timorem peccati propter gehennam, sed tantum desinere facit denominationem servilitatis, idque curat, ut justis non solum detestentur peccatum propter gehennam, sed etiam ob amorem virtutis, ac Dei ipsius. Unde consequitur, timorem istum quandoque hominum malorum et servorum esse, nec tamen ideo malum et intrinsece servilem dici oportere.

Inst. 3. Timor mundanus malus est et prohibitus Matth. 10. v. 28., et 1. Petr. 3. v. 14., Isai. 51. v. 7.; ergo etiam timor servilis.

R. N. Cons. Timor mundanus dicitur, quando quis mala a creaturis independentia ita veretur, ut Creatorem offendere non dubitet; quod fecit Petrus Christum negando; igitur mundanus iste timor, tanquam peccati causa, malus est. At servilis timor non potest in peccatum inducere: nemo enim peccat, quia Deum iratum timet, sed potius vel ideo a peccatis cohibetur. Deinde timor mundanus, quem sæpe respectum humanum nuncupat, facile quoad intensionem seu vehementiam actus excedere potest: contra timor gehennæ nunquam potest esse nimis vehemens; nemo enim tantum timet gehennam, quantum timeret, si eam, ut est, perspectam haberet. Quod si quis etiam plus timeret pœnam gehennæ, quam culpam; non ideo peccaret, quia nimium timeret pœnam gehennæ, sed quia defectu caritatis, et sanæ rationis judicii, non tantum horreret culpam, quantum deberet.

Inst. 4. Peccat, qui Deum propter aliud tantum diligit, v. g. propter bona temporalia, amore mercenario; ergo peccat etiam, qui Deum timet propter aliud, nempe propter infernum.

R. N. Cons. Objectum amoris est bonum, timoris malum: Deus autem est summum bonum in se, nec ullo modo in se malus, sed tantum mali sunt ejus effectus, quibus sotes affligit; ergo propter aliud timeri debet, et amari propter se: non vero solum propter bona temporalia: id enim esset finem ultimum in horum fruitione collocare; essetque talis amor æque præposterus, atque amor hic comitans timorem serviliter servilem, quo eligeretur peccatum ad vitandam gehennam.

155. *Obj. IV.* Omnes Theologi cum Philosopho docent, fieri aut omitti invite et secundum quid involuntarie, quidquid ex metu fit, aut omittitur: atqui hoc ideo dicitur invite, et secundum quid involuntarie contingere,

quia remanet affectus ad contrarium; ergo qui ex metu gehennæ a peccato desisit, affectum ad peccandum retinet.

R. D. M. Secundum Theologos et Philosophum quidquid ex metu fit aut omittitur, contingit secundum quid involuntarie, si affectus ad oppositum non obstat fini per actionem vel omissionem ex metu decretam obtinendo C. si huic fini obstet affectus ad oppositum N. et concessa min. D. Cons. Si affectus ad peccandum non obsisteret fini per omissionem actionis intento C. cum talis affectus impediatur, quo minus finem omissionem actionis intentum assequatur N. Cons. Qui sincere finem desiderat, vult etiam omnia media ad illum assequendum necessaria: atqui ex gehennæ metu detestans peccatum, vult vitare gehennam; ergo etiam cupit omnia media ad vitandam gehennam necessaria. Atqui ad hanc fugam magis opus est exuere affectum ad peccatum, quam desistere a mala actione externa: nam solus affectus ad peccatum damnare hominem potest, cum externa actio sæpe vitio non vertatur; ergo qui ex metu inferni detestatur peccatum, non retinet affectum ad hoc; ergo metus inferni sincerus ac vehemens non facit, aut, ut magis proprie loquar, non relinquit in subiecto involuntarium, saltem actu.

Inst. 1. Qui jacturam mercium facit, qui a furto abstinet ex metu, retinent affectum ad oppositum; ergo etiam is, qui ex gehennæ metu cohibet se a peccato.

R. N. Cons. Mercator in tempestate jacturam faciens, fur metu laquei manus continens, sciunt voluntatem ad contrarium nihil obstituram fini abs se intento: nam navis vere alleviatur jactura solum externa: et qui solo affectu in res alienas fertur, nunquam suspenditur e patibulo, cogitationis enim pœnam nemo patitur, ff. de pœnis, et c. Cogitationis, de Pœnit. d. 1. videlicet in foro humano. Homo enim videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor. 1. Reg. 16. v. 7.

Inst. 2. Qui ex solo gehennæ metu peccatum detestatur, virtualiter dicit: *vellem peccare, nisi gehennam metuerem*; ergo affectum ad peccatum retinet.

R. D. Ant. Si $\tau\delta$ solo accipiatur exclusive aut comparative, virtualiter ita diceret C. cum $\tau\delta$ solo sumatur tantum præcisive N. Ita pœnitens abstinet ab omni vitiosa comparatione vel exclusione: neque enim motum timoris gehennæ præfert aliis præstantioribus, neque offensæ Dei, injuriæ, inobedientiæ, etc.: nec motiva ista formaliter excludit aut virtualiter; sed ab his omnibus præscindit.

Inst. 3. Multi tamen ita comparati a natura sunt, ut peccarent, si metu inferni non absterrentur; ergo virtualiter ita dicunt: *vellem peccare, ni metuerem gehennam*.

R. C. Ant. N. Cons. Ex actibus conditionate futuris nemo bonus est aut malus. Non pauci ita sunt affecti, ut si Dei aut virtutis amore non ducerentur, in his vel illis occasionibus peccarent: num ideo abstinendo a peccatis ex motivo amoris Dei, aut ex honestate virtutum, virtualiter dicunt: *vellem peccare, ni Deum diligerem, aut ni ducerer honestate virtutis?*

Inst. 4. Voluntas efficax finis non necessario applicat media, nisi urgente consecutione finis; ergo potest quis velle vitare gehennam, et postea tantum peccata deserere; ergo retinere adhuc potest affectum ad præsens peccatum.

R. D. seq. utramq. Potest ita agere, si gehennæ timor fuerit appetiatiue

summus N. si non talis fuerit C. Nec tamen iste metus appetiatiue minor dici malus potest: sicut fides et spes non sunt malæ in eo, qui vitæ emendationem differt, ut supra n. 154. ad Inst. 1. observavimus.

156. Obj. V. Non potest aliquid perfecte odio haberi, cujus contrarium non prius diligatur; ergo nec potest quis sincere odisse peccatum, nisi ex amore justitiæ; ergo odium peccati ex timore pœnæ non est bonum ac sincerum.

R. D. Ant. Non potest quid odio haberi, cujus contrarium non diligatur, si propter se et ex motivo proprio odio habetur C. si odio habetur propter aliud et ex motivo communi N. Si oderim cibum suavem, qui valetudini obest, non opus est, ut ante amaverim cibum amarum; sed sufficit, omnia odisse, quæ valetudini, quam amo, adversantur. Hinc D. 1^{am}. seq. Si peccatum ex motivo proprio detestatur C. cum detestetur illud ex motivo communi, et ex honestate, quæ peccati turpitudini indirecte opponitur N. 1^{am}. et 2^{am}. seq. Si ex amore Dei peccatum oderim, non prius opus est, amasse cujusque virtutis peculiarem honestatem; ergo etiam possum bene et sincere odisse peccata, quia reddunt me perpetuo miserum, qui amo et desidero esse æternum beatus. Quare sufficit, quod motiva ejusmodi communia tollant indirecte affectum ad peccata.

157. Obj. VI. Auctoritatem Patrum, ac præsertim S. AUGUSTINI, qui L. de Natura et Gr. c. 57. n. 67. *Sub lege, inquit, est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat.* Eadem habet epist. 144. (al. 145.) ad Anastas. n. 4. ubi talem adhuc vocat inimicum justitiæ: *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat... nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere.* Et concione 25. in Ps. 118. appellat talem timorem carnalem, quo non crucifigatur caro, sed adhuc latenter vivat peccandi voluntas; et Tr. 9. in epist. Joan. circa medium n. 6. 7., comparatur timor adulteræ, quæ intus oblectatur adulterio, quod tamen non committit, quia timet maritum. Eadem fere habet S. THOMAS 1. 2. q. 107. a. 1. ad 1. et aliis quibusdam locis; ergo timor iste malus est.

R. D. Ant. Hæc prædicata tribuuntur timori tantum imperfecto, inchoato, serviliter servili C. tribuuntur timori casto, appetiatiue summo et simpliciter servili N. Quod S. AUGUSTINUS timorem solius gehennæ admittat, quo peccandi voluntas excluditur, constat ex conclusione. Et serm. 13. de verb. Apost. (al. serm. 156. c. 13.) *Timor, inquit, est servus caritatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, et servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si necdum potes amore justitiæ.* Et tract. 9. in epist. Joan. n. 4. *Si nullus est timor, non est, quo intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem... opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat caritas. Timor medicamentum, caritas sanitas.* Ex quibus patet, quam imperite Lutherus

serm. de Pœnit. homines hortetur, ut acturi pœnitentiam, oculos in solam speciem virtutis, nequaquam autem in pœnas peccatorum conjiciant : nam qui peccatorum sordibus assuevit, non illico movetur ad virtutis speciem.

Inst. Ergo saltem timor serviliter servilis inordinatus est et malus, secundum doctrinam Patrum.

R. D. Illat. Timor serviliter servilis, intrinsece, secundum se, et quantum absterret homines ab actione externa peccati, est inordinatus et malus *N.* extrinsece secundum affectionem ad peccatum, quam adhuc compatitur, malus est *C.* Est malus, inordinatus, carnalis et servilis, quia est hominum malorum et inordinatorum, carnalium et servorum : non autem est intrinsece malus, quia timor gehennæ est. Nam quod absterret etiam ab extrinseca solum actione peccati, neque inducit ad peccatum, non est malum : atqui timor iste cohibet ab extrinseca actione peccati, neque inducit ad peccatum ; ergo malus non est. Quod autem homo talis magis timeat pœnam quam culpam, et malit adhuc peccare, non oritur ex hoc timore, sed ex affectu ad peccatum, qui adhuc animo inhæret, et cui expellendo timor iste nimium infirmus est, nec ideo in se malus, sed minime omnium bonus est : bonus tamen adhuc, quia lege divina et humana hic terror incutitur iis, qui necdum ratione et virtutis amore duci ad officium volunt ; ut saltem externa abstinencia a criminibus, vel non contrahant aut augeant habitus pravos, vel contractos longa cessatione nonnihil desuescant, atque ita idonei magis efficiantur ad studia virtutum. Ita Bellarminus *L. 2. de Pœnit. c. 17. et 18. ad Obj. 5.* ubi laudat illud Gregorii *M. in c. 1. Cantic. dicentis : Recti diligunt te : non recti adhuc timent te.*

ARTICULUS III.

AN AD EFFECTUM SACRAMENTI POENITENTIAE PERCIPIENDUM NECESSARIO REQUIRATUR CONTRITIO PERFECTA ?

158. *Nota I.* Petrus Lombardus in *4. Sent. d. 18.*, S. Bonaventura *ibid. art. 2. q. 1.*, Hugo et Richardus Victorini, Alexander, Gabriel, Major, Medina, et nonnulli alii existimabant, motum contritionis verum et perfectum ita ad sacramenti hujus susceptionem esse necessarium, ut, si pœnitens eo destituatur, sacramenti etiam effectu fraudetur, quamvis putet se vere esse contritum, neque in sacramenti susceptione quidquam peccaverit. Hi nimirum negant, potestatem clavium extendi ad remissionem peccatorum mortalium.

Nota II. Sententiæ hujus austeritatem mitigare studuerunt Henricus quodlib. *1. q. 32.*, Cajetanus *q. 84. a. 3.*, Ferrariensis *L. 4. cont. Gent. c. 72.* et alii quidam dicentes, perfectam contritionem esse per se quidem necessariam ad sacramenti effectum percipiendum ; sufficere tamen quandoque solam attritionem ex parte pœnitentis, qui se putat esse contritum, eo quod sacramentum faciat, ut actus ex attritione transeat in contritionem, vel perficiendo eundem actum, vel efficiendo ut homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum ; vel etiam per solam habituum infusionem pœnitens ipse ex attrito evadat æquivalenter contritus. Quod ultimum

tenuerunt Franc. Victoria in *Relect. de potest. Eccles. q. 2.*, Sotus *L. 2. de Nat. et Grat. c. 15. et in 4. d. 18. q. 3. a. 2.*, Ledesma et alii quidam.

Nota III. Denique S. Thomas et complures Theologi, quos infra memorabimus, tradunt, veram peccatorum attritionem sufficere ei etiam, qui scit se non esse perfecte contritum.

159. *Dico.* Ad Pœnitentiæ sacramentum cum fructu percipiendum non opus est contritione perfecta, sed sufficit attritio sola, etiam cognita ut talis.

Prob. I. Christus *Matth. 16.* dedit claves Petro, et in eo cæteris episcopis et presbyteris. *Matth. 18. et Joan. 20.* dedit Apostolis et ipsorum successoribus potestatem solvendi et remittendi peccata, hoc est, instituit Pœnitentiæ sacramentum, quo fideles post Baptismum lapsi expiantur a suis peccatis, ut fatetur tota Ecclesia, docetque Concil. Trident. *Sess. 14. c. 1. et can. 1. et seqq.* Ac S. THOMAS etiam ait, sacramentum Pœnitentiæ esse medicinam, qua peccati mortalis febris tollatur. Atqui est plane absurdum, dari alicui claves, queis nemini aperire possit fores oclusas : impertitam potestatem judici, qui absolvere neminem possit : facultatem remittendi peccata collatam presbyteris fuisse, qui peccatum nunquam remittant : constitutum esse sacramentum reconciliationis, quo nullus in æternum reconcilietur : indicatam medicinam pro febricitantibus, qua nemo nisi sani utantur ; quæ quidem manifesta absurditas contingeret, si sola contritio perfecta ad recipiendam absolutionem sufficeret ; ergo non hæc sola sufficit ad gratiam primam in sacramento recipiendam, sed sufficienter etiam ad gratiam hanc suscipiendam disponit contritio imperfecta.

Prob. II. Si ad hujus sacramenti valorem opus esset contritione perfecta, requireretur dispositio, qua ordinarie carent pœnitentes : atqui hoc cogitari non potest, quod sacramentum istud plerumque nullum sit ; ergo. *Prob. seq. Maj. Sess. 14. c. 4.* ait TRIDENTINUM : *Etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat* : S. AUGUSTINUS *epist. 180. (al. 228. n. 8.)* ad Honoratum scribit, magnum exitium sequi eos, qui de hoc seculo exeunt vel non regenerati, vel ligati. Ergo sentiunt, pœnitentes plerumque perfecta contritione carere. Ac ratio ipsa suadet : nam licet catechumeni plerique ante Baptismum, et pœnitentes ante Confessionis sacramentum diligant Deum ; nondum tamen tam puro in ipsum amore afficiuntur, qualis contritionem perfectam reddit.

Prob. III. Salus morientium ita pendere potest a sacerdotis absolutione, ut hujus defectu quandoque damnentur : atqui hoc falsum esset, si perfecta contritio omnino et absolute ad absolutionem requireretur : nam si illa adesset, sine absolutione pœnitentes salvarentur ; si abesset, etiam cum absolutione damarentur. Ergo contritio perfecta eaque sola non omnino et absolute ad hoc sacramentum requiritur. *Maj. autem prob.* tum ex laudata nuper S. Augustini epistola, tum ex *c. 2. epistolæ Cælestini Papæ ad episcopos Viennensis provincie (Lab. t. 2. p. 1619. E.)* ubi sacerdotes in articulo mortis absolutionem pœnitentibus negantes, ait, mortem æternam eis addere, et animas interficere : tum ex sensu totius Ecclesiæ, in qua, ut docet Concil. TRIDENT. *Sess. 14. cap. 7.*, *Ne quis pereat, pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis ; atque ideo omnes sacerdotes*